

P R A E F A T I O

næ, sed, quod est honestissimum, præclare meretur de omni posteritate. Multa enim vtilia monumenta ediderunt homines doctissimi, IOHANNES de REGIO MONTI, qui huius urbis hospitio & multis beneficijs vsus est, & alij ciues, quorum extant scripta. Hæc beneficia Philosophiæ studiosos agnoscere decet, & huic vrbi gratiam habere ex animo, eamq; in primis amare, tanquam huius præstantissimæ doctrinæ hospitium. Etsi autem possessionem huius laudis multi in vrbe vestra retinent, tamen hoc nomine tibi doctissime SCHONERE plurimum debent studiosi, quòd industriam tuam ad has artes propagandas & illustrandas confers. Nam & istic docendo multorum excitasti ingenia, & subinde monumenta edis, apta scholis, & magnopere vtilia discipulis. Nec vero quidquam est, vt ego arbitror, homine philosopho dignius, quàm summa ope curare, vt doctrina vtilis vitæ tanquam publicum patrimonium, vt Seneca vocat, conseruetur, & ad posteros explicata, & non accisa aut corrupta perueniat. Debet enim Philosophus ad optimarum artium scientiam voluntatem adiungere bene merendi de rebus humanis, præsertim cum intelligat has artes diuinitus ostensas esse non priuatæ oblectationis causa, sed ad communem vtilitatem, & norit philosophum omnes actiones & vitam omnem ad communem salutem atque vtilitatem referre debere. Maxime enim decet Philosophum esse κοινωτικόν. Quanta autem sint merita quæ ad vitam confert, non difficile est iudicare. Videmus enim ipsas disciplinas, quæ Mathemata vocantur, ad vitam necessarias esse. An carere possumus Arithmetica & Geometria? Qualis confusio esset, si anni descriptione carerent Republicæ? Nulla extaret memoria rerum veterum, deniq; mera barbaries esset talis vita. Reliqua philosophia fontes continet legum & omnium honestorum officiorum. Est & magnum ornamentum religionis. Facis igitur honestissime, quòd alijs doctrinam tantarum rerum, tãq; vtilem vitæ sedulo impertis, quòd editione vtilium scriptorũ cõmunia studia iuuas. Non nihil autem debet tibi ciuitas Noriberaga, quòd ex tuis monumentis apparet, huius philosophiæ studia ibi vigere.

Mathemata ad vitam necessarias esse.

- 1
- 2
- 3
- 4
- 5